

Sacerdos: **Et** ómnibus opéribus ejus?

Patrinus: Abrenúntio.

Sacerdos: **Et** ómnibus pompis ejus?

Patrinus: Abrenúntio.

18. Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo Catechumenorum, et infantem ungit in pectore, et inter scapulas, in modum crucis, dicens semel:

Ego te línio ✠ óleo salutis in Christo Jesu Dómino nostro, ut hábeas vitam ætérnam.

R. Amen.

19. Hic deponit stolam violaceam, et sumit aliam albi coloris.

20. Subinde pollicem, et inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili; et interrogat, expresso nomine, baptizatum, Patrino respondente:

N. Credis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cœli et terræ?

R. Credo.

Credis in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, natum et passum?

R. Credo.

Credis in Spíritum sanctum, sanctam Ecclésiám Cathólicam, Sanctórum communióem, remissionem peccatórum, carnis resurrectionem, vitam ætérnam? **R.** Credo.

21. Sacerdos intingit pollicem in sacro Chrismate, et ungit infantem (quem Patrinus vel Matrinas, vel uterque simul tenent) in summitate capitis in modum crucis, dicens:

Deus omnipotens, Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui te regenerávit ex aqua et Spíritu sancto, quique dedit tibi remissionem ómnium peccatórum, (hic inungit) ipse te líniat Chrismate salutis ✠ in eódem Christo Jesu Dómino nostro in vitam ætérnam. **R.** Amen.

Sacerdos: **Pax** tibi. **R.** Et cum spíritu tuo.

22. Tum bombacio, vel re simili, abstergit pollicem, et locum inunctum, et imponit capiti infantis linteolum candidum, loco vestis albæ, dicens:

Accipe vestem cándidam, quam immaculátam pérferas ante tribúnal Dómini nostri Jesu Christi, ut hábeas vitam ætérnam. **R.** Amen.

23. Postea dat ei, vel Patrino, candelam accensam, dicens:

Accipe lámpadem ardéntem, et irreprehensibilis custódi Baptísmum tuum: serva Dei mandáta, ut cum Dóminus vénerit ad núptias, possis occurrere ei una cum ómnibus Sanctis in aula cœlesti, habeásque vitam ætérnam, et vivas in sácula sæculórum. **R.** Amen.

24. Postremo dicit: **N. Vade in pace, et Dóminus sit tecum.** **R.** Amen.

25. Si vero fuerint plures infantes, masculi seu feminae, in Catechismo masculi statuatur ad dexteram, feminae vero ad sinistram; et omnia pariter dicantur, ut supra, in proprio genere, et numero plurali. Verum prima nominis interrogatio, exsufflatio, Crucis impressio, seu signatio, tactus aurium et narium cum saliva, abrenuntiationis interrogatio, unctio Olei Catechumenorum, interrogatio de Fide, seu Symbolo, inunctio Chrismatis, candidæ vestis impositio, atque candelæ accensæ traditio singulariter singulis, et primum masculis, deinde feminis fieri debent.

CAPUT 5. §. II.

ORDO SUPPLENDI OMISSA
SUPER BAPTIZATUM ADULTUM.

In primis Sacerdos indutus superpelliceo et stola, vel etiam pluviâ violacæi coloris, cum suis Clericis accedit ad gradus Altaris, et genibus flexis, piâ mente ad Deum preces effundit, ut sacram actionem digne valeat explere; et ad implorandum divinum auxilium surgens se signat, et si temporis ratio ferat dicit **V. Deus in adjutórium etc.** cum Antiphona, Psalmis, Versiculis et Orationibus, ut supra in Baptismo adultorum notatur, pag. 20.

2. Deinde Sacerdos procedit ad fores Ecclesiæ, et stat in limine, catechizandus vero extra limen. Et si sunt plures, mares, et feminæ, illi ad dexteram Sacerdotis, hæ vero ad sinistram stantur; et Sacerdos interrogat:

Quo nómine vocáris?

Electus respondet: **N.**

Sacerdos: **N.** quid petis ab Ecclesiá Dei?

R. Fidem.

Sacerdos: **Fides**, quid tibi præstat?

R. Vitam ætérnam.

Sacerdos: **Si** vis habére vitam ætérnam, serva mandáta. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua, et próximum tuum sicut teípsum. In his duóbus mandátis tota Lex pendet, et Prophétæ. Fides autem est, ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in unitáte veneréris, neque confundéndo persónas, neque substántiam separándo. Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, ália Spíritus sancti; sed horum trium una est substántia, et nónnisi una Divínitas.

3. Et rursus interrogat: **N.** Abrenúntias sátanæ?

Respondet Electus: **Abrenúntio.**

Interrogat: **Et** ómnibus opéribus ejus?

Respondet: **Abrenúntio.**

Interrogat: **Et** ómnibus pompis ejus?

Respondet: **Abrenúntio.**

4. Deinde Sacerdos interrogat de Symbolo Fidei, dicens:

Credis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cœli et terræ?

R. Credo.

Interrogat: **Credis in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, natum, et passum?** **R.** Credo.

Interrogat: **Credis in Spíritum sanctum, sanctam Ecclesiám Cathólicam, Sanctórum communionem, remissionem peccatórum, carnis resurrectionem, et vitam ætérnam?** **R.** Credo.

5. Tunc Sacerdos exsufflet ter in faciem ejus, semel dicens:

Exi ab eo, spíritus immúnde, et da locum Spíritui sancto Paráclito.

6. Hic in modum crucis halet in faciem ipsius, et dicat:

N. Accipe Spíritum bonum per istam insufflationem, et Dei benedictionem ✠.

Pax tibi. **R.** Et cum spíritu tuo.

7. Deinde facit Crucem cum pollice in fronte, et in pectore, dicens:

N. Accipe signum Crucis tam in fronte, ✠ quam in corde: ✠ sume fidem cœlestium præceptórum. Talis esto móribus, ut templum Dei jam esse possis: ingressusque Ecclesiám Dei, evasisse te láqueos mortis, lætus agnósce; (horrésce idóla, réspue simulácula), cole Deum Patrem omnipoténtem, et Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sáculum per ignem.

R. Amen.

Hic advertendum est, quod dicta verba (horrésce idóla. réspue simulácula) dicantur Catechumeno qui venit de gentilitatis errore, seu de ethnicis et idololatriis. Catechumeno vero Judæo, sive ex Hebræis venienti, loco horum verborum dicatur (horrésce Judáicam perfídiam, réspue Hebráicam superstitionem).

Saraceno autem, vel Turcæ, aut Persæ, sive alii ex Mahumétanis ad fidem venienti Catechumeno, loco eorundem verborum, dicatur (horrésce Mahuméticam perfídiam, réspue pravam sectam infidelitátis).

At hæretico ad catholicam Ecclesiam venienti, qui, si in ejus Baptismo debita forma servata non est, baptizari debet, dicatur (horrésce hæreticam pravitátem, réspue nefárias sectas impiórum). Vel exprimaturo proprio nomine secta de qua Catechumenus venit.

Si plures sunt Electi, omnia supradicta dicantur singillatim super singulos.

Orémus.

Oratio.

Te déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: ut huic fámulo tuo **N.** qui in hujus sæculi nocte vagátur incértus ac dúbius, viam veritátis et agnitiónis tuæ júbeas demonstrári: quátenus, reserátis óculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Fílio, et Fílium in Patre cum Spíritu sancto recognóscat, atque hujus confessiόνis fructum, et hic, et in futúro sæculo, percípere mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

8. Si plures sunt Electi, præcedens Oratio dicatur in numero plurali. Sequentes autem signationes fiant cum suis verbis singillatim super singulos.

9. Deinde signet Electum signo Crucis cum pollice in fronte, dicens:

Signo tibi frontem, ✠ ut suscipias Crucem Dómini.

In auribus: Signo tibi aures, ✠ ut aúdias divína præcépta.

In oculis: Signo tibi óculos, ✠ ut vídeas claritátem Dei.

In naribus: Signo tibi nares, ✠ ut odórem suavitátis Christi séntias.

In ore: Signo tibi os, ✠ ut loquáris verba vitæ.

In pectore: Signo tibi pectus, ✠ ut credas in Deum.

In scapulis: Signo tibi scápulas, ✠ ut suscipias jugum servitútis ejus.

In toto corpore, illud non tangens, manu producit signum Crucis, et dicit:

Signo te totum, in nómine Patris, ✠ et Fílii, ✠ et Spíritus ✠ sancti, ut hábeas vitam ætérnam, et vivas in sæcula sæculórum. R. Amen.

Orémus.

Oratio.

Preces nostras, quæsumus Dómine, cleménter exaúdi, et hunc Eléctum **N.** Crucis Domínicæ, cujus impressiόνne eum signámus, virtúte custódi: ut magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servans, per custódiam mandatórum tuórum ad regeneratiónis glóriam pervenire mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Orémus.

Oratio.

Deus, qui humáni géneris ita es cónditor, ut sis étiam reformátor, propitiáre pópulis adoptívis, et novo testaménto sóbolem novæ prolis adscríbe: ut filii promissiόνis, quod non potuérunt ássequi per natúram, gaúdeant se recepisse per grátiam. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

10. Tunc imponit manum super caput Electi, et dicit:

Orémus.

Oratio.

Omnípotens, sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignáre super hunc fámulum tuum **N.**, quem dudum ad rudiménta fidei vocáre dignátus es: omnem cæcitatém cordis ab eo expélle: disrúmpe omnes láqueos sátanæ, quibus fúerat colligátus; áperi ei, Dómine, jánuam pietátis tuæ, ut signo sapiéntiæ tuæ imbútus, ómnium cupiditátum foetóribus cáreat, et ad suávem odórem præceptórum tuórum lætus tibi in Ecclésia tua desérviat, et proficiat de die in diem, ut idóneus sit frui grátia Baptismi tui, quem suscepit, salis percépta medicína. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

11. Si plures sint, hæc et præcedens Oratio: Preces nostras, etc. dicantur in numero plurali.

12. Deinde Sacerdos benedicat sal.

Benedictio Salis.

Exorcízo te, creatúra salis, in nómine Dei Patris omnipoténtis, ✠ et in caritaté Dómini nostri Jesu Christi, ✠ et in virtúte Spíritus ✠ sancti: exorcízo te per Deum vivum, ✠ per Deum verum, ✠ per Deum sanctum, ✠ per Deum, ✠ qui te ad tutelam humáni géneris procreávit, et pópulo veniénti ad credulitátem per servos suos consecrári præcépit, ut in nómine sanctæ Trinitátis efficiáris salutáre sacraméntum ad effugándum inimicum. Proínde rogámus te, Dómine Deus noster, ut hanc creatúram salis sanctificádo sanctífices, ✠ et benedicédo benedícas, ✠ ut fiat ómnibus accipiéntibus perfécta medicína, pérmanens in visceribus eórum, in nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. **R.** Amen.

13. Quod si Electus fuerit Gentilis, seu ex Idololatriis venerit ad fidem, benedicto sale, antequam ejus medicinam gustet, Sacerdos addat sequentem Orationem, quæ tamen pro venientibus ex Hebræis, vel aliis, ut supra, non dicitur.

Orémus.

Oratio.

Dómine sancte, Pater omnipotens, ætérne Deus, qui es, et qui eras, et qui pérmanes usque in finem, cujus orígo nescítur, nec finis comprehénderi potest: te súplices invocámus super hunc fámulum tuum **N.** quem liberásti de erróre gentílium, et conversatióne turpíssima; dignáre exaudíre eum, qui tibi cervíces suas humíliat ad lavácri fontem, ut renátus ex aqua, et Spíritu sancto, exspoliátus vétérem hóminem, induat novum, qui secúndum te creátus est; accípiat vestem incorrúptam, et immaculátam, tibi que Deo nostro servíre mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

14. Si plures sint, præcedens Oratio dicatur in numero plurali.

15. Tunc Sacerdos pollice, et indice accipit de ipso sale benedicto, et immittit in os Electi, dicens:

N. Accipe sal sapiéntiæ: propitiátio sit tibi in vitam ætérnam. **R.** Amen.

Sacerdos: **Pax** tibi. **R.** Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Oratio.

Deus patrum nostrórum, Deus univérsæ cónditor veritátis, te súplices exorámus, ut hunc fámulum tuum **N.** respícere dignéris propítius: et hoc pábulum salis gustántem, non diútius esuríre permíttas, quo minus cibo repleátur cœlesti; quátenus sit semper spíritu fervens, spe gaudens, tuo semper nómini sérvians: et quem ad novæ regeneratiónis lavácrum perduxísti, quæsumus, Dómine, ut cum fidélibus tuis promissionum tuárum ætérna præmia cónsequi mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

16. Si plures sint, dicatur singulis: **N.** Accipe sal etc. et præcedens Oratio, Deus patrum nostrórum, in numero plurali.

17. Si inter Electos adsint feminae, recedant ipsæ in partem, quousque tertio dicatur masculis: **Ora, Electe, etc.** et hi signati fuerint in fronte.

18. Si plures sint Electi, hic et in sequentibus Sacerdos dicat in numero plurali: **Oráte, Elécti, fléctite génua etc.**

19. Deinde Sacerdos dicat super masculum tantum:

Ora, Elécte, flecte génua, et dic Pater noster.

Et Electus genuflexus orat, et dicit: **Pater noster.**

Et cum dixerit usque ad, **Sed libera nos a malo, inclusive,** Sacerdos dicit:

Leva, comple oratióne tuam, et dic Amen.

Electus, surgens, respondet: **Amen.**

Sacerdos dicit Patrino: **Signa eum.**

Deinde Electo: **Accéde.**

Et Patrinus pollice signat Electum in fronte, dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti.

20. Et Sacerdos pariter facit signum Crucis in fronte ejus, dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti.

Et imponit manum super eum, et dicit:

Orémus.

Oratio.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Móysi fámulo tuo in monte Sínei apparuísti, et filios Israëli de terra Ægýpti eduxísti, députans eis Angelum pietátis tuæ, qui custodíret eos die, ac nocte: te quæsumus, Dómine, ut mittere dignéris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui simíliter custodiat et hunc fámulum tuum **N.**, et perdúcat eum ad grátiam Baptísmitui. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Exorcismus.

Ergo, maledícite diábole, recognósce senténtiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero: da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spíritui sancto: recéde ab hoc fámulo Dei **N.** quia istum sibi Deus, et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est; et hoc signum sanctæ Crucis, ✠ quod nos fronti ejus damus, tu, maledícite diábole, numquam aúdeas violáre. Per eúndem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

R. Amen.

21. Sacerdos dicit secundo **Electo**:

Ora, Elécte, flecte génu, et dic Pater noster.

Electus, genu flexo, orat, et dicit: Pater noster, usque ad. Sed libera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit: **Leva, comple oratióem tuam, et dic Amen.**

Electus, surgens, respondet: Amen.

Sacerdos dicit Patrino: **Signa eum.**

Deinde dicit **Electo**: **Accéde.**

Et Patrinus cum pollice signat Electum in fronte, dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti.

22. Et Sacerdos páriter facit signum Crucis in fronte, ejus dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti.

Deinde imponit manum super eum, et dicit:

Orémus.

Oratio.

Deus, immortalé præsidium ómnium postulántium, liberátio súpplicum, pax rogántium, vita credéntium, resurréctio mortuórum: te ínvocho super hunc fámulum tuum **N.** qui, Baptísmitui donum petens, ætérnam cónsequi grátiam spirituáli regeneratióne desidérat: áccipe eum, Dómine, et quia dignátus es dícere: Pétite, et accipiétis, quærite, et inveniétis, pulsáte et aperiétur vobis; peténti præmium pórrige, et jánuam pande pulsánti, ut ætérnam cœlestis lavácri benedictiónem consecútus, promíssa tui múnere regna percípiat. Qui cum Patre, et Spíritu sancto vivis et regnas Deus, in sæcula sæculórum. **R.** Amen.

Exorcismus.

Audi, maledícite sátana, adjurátus per nomen ætérni Dei, et Salvatóris nostri Jesu Christi, Fílii ejus, cum tua victus invídia, gemens, treménsque discéde: nihil tibi sit commúne cum servo Dei **N.** jam cœlestia cogitánte, renuntiáturo tibi, et sæculo tuo, et beátæ immortalitati victúro. Da ígitur honórem adveniénti Spíritui sancto, qui ex summa cœli arce descéndens, proturbátis fraudibus tuis, divíno fonte purgátum pectus, sanctificátum Deo templum et habitáculum perfécit: ut ab ómnibus pénitus nóxiis præteritórum críminum liberátus servus Dei, grátias perénni Deo réferat semper, et benedícat nomen sanctum ejus in sæcula sæculórum. **R.** Amen.

23. Sacerdos tertio dicit **Electo**:

Ora, Elécte, flecte génu, et dic Pater noster.